qui de omnibus nos iudicabit. Venerunt et dixerunt ei. Venimus ad
te pater sancte. quia tu es caput omnium. Dicit et ille. et ego fili ex
communicatos vos. exclusi ab hac spe. Dixerunt ad invicem. Isti
episcopi sibi invicem consenciunt quia in sinodis congregantur. sed eamus
ad virum sanctum epiphanium episcopum cipri quia propheta est et personam
hominis non accipit. Cum autem appropinquarent civitati eius revelatum
est ei de ipsis et misit in occursum eorum dicens ne intretis
civitatem hanc. Tunc in se reversi dixerunt. Invitare nos cul
pabiles sumus ut quid ergo nos iustificavimus nam et iste
sanctus propheta nos excommunicatos habet cui neque alius nisi
dominus revelavit ut nobis et reprehendit valde semet
ipsos. Videns dominus quia veritate se culpabiles fecerant
revelavit epiphanio predicto qui ultro adduxit eos ad
se et consolans eos suscepit in communione et absolvit eos.

De nimia contemplacione macharii

Abbas macharius de se dixit. Alta animi
mei nove cuius de causa cognicionis cupiditas occu
pavit. ut vel quinque diebus continuis sensu cordis mei
inseparabiliter adeo facerem. Statuens in mente mea. et clausis
omnibus hostiis meis et nullus homo possit a me responsum
habere. cepi instare a principio septimane dicens sensui
meo. Vide ne per de celo ad terram descendas. habes ibi
angelos archangelos patriarchas prophetas apostolos martires
confessores vel virgines et ceteri principes omnium creatorem tuum
illic conversare semper quoniam ista celestia sunt ne car
nales cogitaciones incurras. et in hoc duabus noctibus
perseveravi usque adeo demonem me provocasse ac stimu
lasse. sed sicut ille in flamma ignis subito conversus omnia
que intra cellam erant incenderet ipsam et mattam super quam
stare consueveram ita ut totum me arsurum crederem.